

1387

CODICES

1388

CODICES POLEMICI.

359 ——— 555.

CCCLIX.

197 **C**odex membranaceus lat. Sec. XIV. Folior. 282. f. currente calamo per duas columnas scriptus exhibet *Thomae Bradwardini* Angli *Cicestriensis*, Archiep. *Cantuariensis*, mortui an. 1349. opus infigne inscriptum: *De causa dei contra pelagium et de virtute causarum Thome de Bredewardyna Cancellarij London.* In fol. praeced. legitur: *Codex in Vaticana bibliotheca sic habet. Summa doctoris (ἀυτονομωσιως) profundi Thome Brauardini De causis Dei contra Pelagianos et de virtute Dei cause causarum. habet Cap. 52.* In editione unica, quam curavit *Henricus Savilius Londini* 1618. f. Liber tertius et ultimus, de quo hic sermonem esse censeo, *Capitibus* constat non 52. sed 53. subjunctamque habet *Bradwardini* ad Socjos Collegii

Mertonensis, quo in Collegio *Oxonii* meruerat, *Epistolam*, quae a *Codice* nostro abest, utpote, qui in iis C. LII. verbis: *excecatu seu pocius cecus natus*, deficit. Abest item prior ad *Mertonenses Epistola*, quam operi praefixam exhibet *Savilius*. Ceterum *Codex* cum editis probe concordat. De Autore vide, si placet, fontes, quos excitat *Hambergerus* T. IV. *Zuverlässs. Nachr. v. Schriftst.* p. 561.

CCCLX.

Codex membranaceus lat. non unius Seculi, Folior. 270. 4. partim lineis longis, partim per duas columnas exaratus, rubricisque distinctus *Sequentia* complectitur: I. manu Sec. XIV. *Epitomen Operis Thomae Bradwardini*

CODICES

M

1389

P O L E M I C I.

1390

dini Archiep. Cantuar. de *Causa Dei contra Pelagium*, de quo diximus *Cod. praeced.* Praemissa est Epitomatoris Admonitiuncula, qua ausus veniam et Lectoris suffragia petit: *Magnitudinem huius operis que mihi videbatur exterius prospicienti tam in auctoritatum profunditate quam in earum multiplicitate constare &c.* Hanc excipit *Conspectus Operis per III. Libros eorumque Capita*, prout extat in *Edit. Lond. 1618.* f. Initium ipsius Epitomes est: *Deus est summe perfectus et bonus in tantum quod nichil melius et perfectius esse potest &c.* Finis vero *L. III. c. ult.* ut adeo nihil desit ad integrum vastae Tractationis Compendium.

II. *fol. 81.* sequitur elegantiore ejusd. Seculi manu, sed multis vocum contractionibus lectu paullo difficilius *Vocabularium Linguae Latinae*, Alphabeti ordine ita digestum, ut *Radicibus* singulis *Derivata* et *Composita* sua subjiciantur. Habet id *Prologum*, quo Autor, cujus nomen non proditur, narrat, objectam sibi secundum quietem divam *Grammaticam* adseclis suis stipatam, multumque se negligi questam *Vocabularium* tandem istud dictasse. Ita vero inquit: *Cum in nocte hiemali multe lucubrationis peruigilio plurimoque in lichnis depasto oliuo usque ad conticinium ferme nictitasssem in letbeum tandem soporem squarroso (scaroso, hirto, aspero) me posui lectisternio.* Fit strepitus intransium. *Quedam igitur celtica efferatque speciminis femi-*

na — (Grammatica) in prelibati cunei prima fronte reuerenda maiestate incedens. leua quidem pinacem quam uenustam ex hebeno braeteisque aurulentis artice expositam. sed dextra aliquantule prolixitatis trinodem gestabat corrigiam. ex qua scabra pubertim ingenia linguarumque uituligines leui sensim attricione purgabat &c. Videamus jam et *Divae Comites.* *Alii manibus ad nolas (i. volas) percellendas ferulas orbiculatas. Alii uero ad tergora sulcanda uibices acerrimas protendebant. ut liquidis clareret euidenciis pedagogali eos excellencia esse decusatos. &c.* Coram his itaque *plagosi Orbili* Posteris conscenso suggestu *Divae* primum in sui contemptores invehitur, tum dictare incipit: *Amo. as. ui. amatum. tu. uerbum actiuum. Inde amator. ris. unde amatorius. a. um. et hic amatorculus. diminut. Vnde plautus in penulo. Vix inquit egregue amatorculos inuenimus &c.* et deinceps: *Arceo. Alo. Aqua. Amicio. Acuo &c.* Literis singulis novam praemittit *παραγωγικῆν Grammatica*, totoque ad modum praedictum decurso Alphabeto post *Z.* literam istud subdit *ἐπιφώνημα*: *Istas deriuaciones secundum totius latinitatis normam prolatas. quas uestra filioli in audientia deposui — intente suscipite et memoriter recolite &c.* Quantum e *Magistrae* huius institutione profecerit *Noter*, sat docent adlata specimina. Nec mirum, cum illa productis *Plauti, Terentii, Virgilio, Horatii, Persii, Ouidii &c.*

M 3

exemplis

1391

I C O D I C E S

1392

exemplis *Marc. Capellam*, *Augustinum*, *Isidorum*, quin et *Bibliorum* et *Fl. Iosephi* versiones aequa lance admetiatur. Verbo *Luo* citat *Beatum Adeliu* in libro quem de *Virginitate* composuit. *Aldhelmus* is est *Shirburnensis* Episcopus a. 709. vivis exemptus. Verbo *Alo* comparet *Rabanus*, quo juniorem Scriptorem in pervolvendo hoc *Lexico* me reperire non memini; *Papiam* itaque, *Job. de Garlandia*, *Hugutionem*, *Job. Balbum Januens.* aetate praecedat. Si patriam petas, *Galliam* dicam; Verbo *Alo* enim legitur: *alietus. ti. auis que gallice uocatur artur*, repone *Astur* five *Autour*. Et paullo infra: *Aluta. te. id est. pellis sutarii. que gallice dicitur corues*. Unde apud *Ducangium* in *Gloss.* habes *Corvesarios*. Alterius linguae Vestigia non deprehendi.

III. fol. 163. alia ejusd. Sec. manu: *Incipit prologus sancti bernardi abbatis clareuallis in libro de bono (libero) arbitrio. Domino W. (illelmo) abbati sancti teodorici (frater) bernardus. Opusculum de gratia et libero arbitrio quod illa qua scitis ratione (occasione) nuper aggressus sum. deo (eadem gratia) adiuuante peregi ut potui &c.* Initium ipsius: *Loquente me coram fratribus (deest fratribus in edit. Paris. regia T. III. p. 118. 1642. f. quacum instituta collatio) aliquando et dei in me gratiam commendante &c.* Opusculum integrum, sed minus emendatum.

IV. fol. 172. *Incipit liber S. Bernardi abbatis clareualis de precepto et dispensatione.* Praeit Epistola: *Domino Abbati columbenfi frater bernardus abbas dictus de claraualle ualere in domino semper. Rescriptum meum ad epistolas duorum carnotencium quorundam monachorum &c.* Initium Libri seu Prologus: *Qua mente iam tacebo. Qua fronte tamen loquar &c.* Extat edit. cit. p. 163. Exemplar nostrum praecedente nihilo emendatius eademque manu exaratum.

V. fol. 189. manu Sec. XV. Indices in *Augustini Libros de Civitate Dei*, et quaedam Opera *Bernardi*.

VI. fol. 223. in charta, manu Sec. XV. Tractatus Phifico geometricus de *Proportione Motuum* absque Autoris nomine, cujus initium: *Omnem motum successivum alteri in uelocitate et in tarditate proporcionari contingit &c.* Pertinet ad *Tractatum Proportionum* acutissimi *Thomae Bradwardini* Archiep. Cantuar. a. 1349. vivis exempti, qui post unam alteramque Sec. XV. editionem legitur in *Collectione similium Opusculorum Venetiis 1505. f. impressa*, in qua primas tenent *Bassani Politi Quaestio de Modalibus* et *Tract. Proportionum*. Excerptum nostrum ibi incipit fol. 10. §. 2. et abrumptur in iis fol. 14. p. 2. verbis: *Iterum condensetur medium e contrario donec proportio b. ad istam* — —. Non possum silentio praeterire

1393

P O L E M I C I.

1394

terire aureum *Boethii* effatum, quod mox sub initium *Bradwardinus* excitat: *Quisquis scientias Mathematicales pretermiserit, constat omnis Pbylofophie perdidisse doctrinam.*

VII. fol. 243. iterum in membrana calamo Sec. XIV. *Meditationes beati Bernardi.* Initium: *Multi multa sciunt et seipsos nesciunt &c.* Integrae sunt et leguntur in Edit. *suprac.* p. 423. A nobis etiam indicatae *Codd.* pluribus. Exemplar praesens nihilo perfectius supra adductis *Bernardi* aliis.

VIII. fol. 258. manu Sec. XV. in charta *Incipiunt Sermones de quatuor instinctibus. diuino. angelico. dyabolico et humano.* Initium: *Semen cecidit in terram bonam &c. Hoc uerbum propositum exponitur per christum de semine uerbi &c.* Tractatus hic ad *Henr. de Vri-maria* Augustiniani Instituti pertinet, ut jam ad *Codd.* XC. et plures alios observatum est.

CCCLXI.

19 Codex membraneus gall. Sec. XV. Folior. 406. fol. max. elegantia manu scriptus, literis initialibus auro, et coloribus illustratis. Continetur eo Traductio gallica seu Burgundica vasti Operis, quod *Fortalitium Fidei*, hic *Fortresse de la Foy* inscribitur. Interpres, cujus nomen in nostro Exemplari desideratur, ex *Cod. Bibl. Bernensis*, in quo tamen non nisi IV. et V. Liber Operis habetur, innotescit; ita enim ibi

ad calcem legitur: *Le present Volume a este translaté de latin en françois par Pierre Richart, dit l'oiselet, Prestre et Curé de marques.* Traductionem nostram eandem esse cum Bernensi, et cum ea, quam possedit Dux *Valterius* Parisiis, docuit collatio. Confer *Catal. Codd. Biblioth. Bernens.* Bernae 1760. p. 68. et *Catalogue des Livres de la Bibl. de feu M. le Duc de la Valliere.* Paris. 1783. P. I. p. 266. ubi et leges, quae de Autore *Fortalitii*, non *Guilelmo Totano* aut *Thoma Patriarcha Barbariensi*, aut *Bartholomaeo*, sed *Alphonso de Spina* traduntur. Adde *Clement Biblioth. cur. hist. et crit. T. VIII. Leips.* 1759. p. 316. Primus, qui viri hujus a Judaismo ad Sacra christiana conversi nomen retexit, *Jo. Mariana* fuit; ita enim, dum in *edit. bisp. Historiae suae* supplicium *Alvari de Luna* persequitur, L. XXII. c. 13. narrat: *Acompanò a don Alvaro por el camino, y basta el lugar, en que le justiciaron, Alfonso de Espina, frayle de S. Francisco, a quel que compuso un libro llamado Fortalitium fidei, magnifico titulo, bien que poco elegante, la obra erudita y excelente por el conocimiento, que da y muestra de las cosas diuinas, y de la Escritura sagrada.* Et brevius in *edit. lat. l. cit. Alfonsus Spina monachus Franciscanus morienti affuit; is, qui fortalitium fidei edidit, splendido titulo, voce barbara, eruditum opus et diuinarum rerum cognitione praestanti.*